

cipiat quotannis e fisco Academico centum Libras præter pecunias ei a Nathaniele Barone Crew episcopo Dunelmensi legatas. Choragus recipiat summam illam quam olim Gulielmus Heather e suis redditibus ei numeraverat, scilicet xiii Libras vi Solidos et viii Denarios.

Professorem posthac nomen Vice-Cancellarius, Custos Collegii Novi, Præses Collegii Magdalenensis, Decanus Ædis Christi, Præses Collegii D. Joannis Baptistæ, Procuratores duo, Professores Saviliani, Professor Poeticæ, vel eorum major pars, a Domo Convocationis approbandum.

Choragum nomen Vice Cancellarius, Duo Procuratores, Professor Musicæ, et Orator Publicus, vel eorum major pars, a Domo Convocationis approbandum.

Placuit Universitati hæc statuere quæ sequuntur,

*De Præcentore sive Coryphæo, et de Schola Musicæ Practicæ.*

Præcentor, sive Coryphæus, una cum Chorago bipartita opera constantem Musicæ Practicæ exercitationem habendam curet. Hujus vero exercitationis regimen habeat Professor, modum et materiam præcipiat, distributionem studentium in classes approbet, ipsis musicam exercentibus sæpius adsit et præsideat, et impendia in rebus necessariis facienda dirigat. Academicos quicumque ad Scholam studio Musicam exercendi venerint, in classes distribuant secundum singulorum peritiam, prout omnibus maxime profuturum sit, probante Professore Musicæ, et in praxi musicæ erudiant Choragus et Præcentor. Qui ad proximum admitti velint, conferant in impensas unoquoque Termino quisque summam quæ ne duodecim solidos excedat. Has vero pecunias erogandas curet Professor partim in ea quæ praxi musicæ agendæ necessaria sunt, puta quæros symphoniacos, reliquas autem in salaria æqualiter dispertiat Chorago et Præcentori; probante Vice-Cancellario, cui Professor exhibeat quotannis sub initium Magnarum Feriarum computum receptorum et impensorum in Schola Musicæ Practicæ; hunc vero Vice-Cancellarius inter rationes suas referat.

Scholares musicæ studentes, qui impensa opera in praxim musicam per Terminos saltem quatuor, satis periti esse comprobentur judicio Professoris, Choragi, et Præcentoris, vel Professoris atque utriusvis alterius horum, fruuntur privilegiis et omnimodis Scholæ Musicæ gratuito; sed teneantur tamen Professore opitulari ad illustrandas Lectiones ejus publicas de musica arte, si ab eo requisiti fuerint in Academia præsentés nec negotiis Academicis præpediti.

Societates jam privatim intra Academiam constitutæ ad exercendam Musicam, si intra unum Terminum post sancitum hoc Statutum ad Scholam Musicæ Practicæ sese ad censuerint, tum harum socii singuli dimidium tantummodo summæ supra dictæ conferant in impensas.

Præcentorem sive Coryphæum nomen Professor Musicæ a Domo Convocationis approbandum.

Libri musici, scilicet notis musicis impressi, qui nunc in Bibliotheca Bodleiana et in Museo Ashmoleano reponuntur, transferantur, quantum Curatoribus Bibliothecæ et Custodi Musei, de utroque loco, visum fuerit, in Scholam Musicæ, quæ nunc est, atque ibi conserventur, una cum illis qui ibidem nunc habentur. Liceat tamen inde libros impressos, si qui ad praxim musicæ præcipue utiles sint, rogatu Choragi vel Præcentoris, foras ad eum locum portare in quo Schola Musicæ Practicæ habeatur. Horum omnium librorum curam habeat et custos sit Professor Musicæ; ita tamen ut ne alienentur a Bibliotheca

Bodleiana, cujus Curatores possint et teneantur eos inspicere et visitare, quando opus sit: atque ut Professor ad eosdem Curatores referat quicquid de iis insuper agendum esse censeat.

Si qua instrumenta musica possideat Academia, quæ ad usum Scholæ Musicæ Practicæ dicata fuerint, hæc custodiant Choragus et Præcentor, reficienda, quoties usu fatiscant, sumtibus Academicis, probante Vice-Cancellario.

In Statutis de Professore Musicæ et de Schola Musicæ Practicæ Terminus Paschatis et Terminus Trinitatis pro uno computentur.

Placuit Universitati, Statuta in Tit. VI. Sect. III. §. 2, et §. 4, abrogare, et in eorum locum subrogare hæc quæ sequuntur,

*§. 2. De Exerctiis pro Gradu Baccalaurei in Musica præstandis.*

Qui ad Baccalaureatum in Musica promoveri cupit, priusquam pro Gratia sua supplicet, examen subeat, et Canticum componat. Examen illud habeatur quotannis in Termino Paschatis vel Trinitatis a Professore Musicæ, Chorago, et alio quolibet in Universitate Graduato quem Vice-Cancellarius et Procuratores nominaverint Domus autem Convocationis approbaverit, et fiat partim viva voce interrogando et respondendo, partim per scripta. Cantici vero hæc sit ratio, scilicet ut sit quatuor saltem partium cum modulatione organi solius, vel instrumentorum chordatorum non plurius quam quinque; et quando judicio Professoris permittatur, Candidatus data fide, addito etiam chirographo suo, protestetur se Canticum illud totum composuisse: sin minus, ad Gradum ne præsentetur. Probatum vero Canticum publice tam vocibus quam instrumentis musicis exhibeat; et postea, antequam ad Gradum præsentetur, exemplar ejus in manum Professoris tradat reponendum in Schola Musicæ.

*§. 4. De Exerctiis per Inceptorem in Musica præstandis.*

Baccalaureus Musicæ, priusquam ad incipiendum in eadem Facultate admittatur, examen subeat, et Canticum componat. Examen illud habeatur quotannis eodem Termino et ab iisdem personis et eodem modo, quibus ante capessendum Gradum Baccalaurei, nisi quod nulla sit viva voce interrogatio, Cantici vero hæc sit ratio, scilicet ut sit octo partium cum modulatione plenæ orchestre. Candidatus quoque eodem modo, quo supra dictum est, testetur se Canticum illud composuisse. Probatum Canticum publice vocibus et instrumentis musicis exhibeat; et postea, antequam ad Gradum præsentetur, exemplar ejus in manum Professoris tradat reponendum in Schola Musicæ. Quibus exercitiis per eundem præstitis, per publicum ejusdem Facultatis Prælectorem Heatherianum, aut alium quemvis per eundem assignatum, Gratia ipsius in Domo Convocationis proponatur; qua concessa, per eundem Professore Heatherianum, si jus habeat in Convocationem suffragandi, sin minus, per alterutrum Professore Savilianum, (qui ad hoc alternis præstandum teneantur,) vel per alium quemvis in Artibus Magistrum ab iis deputatum, ad Gradum præsentetur.

Placuit Universitati, in Formula Gratiæ Pro Gradu Baccalaurei in Musica, Addend. p. 500, abrogare verbum,—quinque, et pro eo subrogare, quatuor saltem;

et, Pro Gradu Inceptoris in Musica, ibid. abrogare verba,—sex vel.

et, in Addend. p. 503, abrogare verba,—et unum canticum sex vel octo partium in iisdem Comitibus exhibuerit.

Hæc quæ nunc statuuntur de Exerctiis ad